

habitudinem rationis esse formam, sed verba ipsa. Item, quia illa habitudo non est quid sensibile, sicut verba. Item, quia in aliis sacramentis, licet possit considerari illa habitudo, non tamen dicitur forma, sed verba. Denique si habitudo illa consideretur ex parte verborum denominantium materiam, non est forma, sed quasi informatio extrinseca verborum. Si autem quasi passive consideretur, ex parte specierum, est veluti unio materiæ ad formam, qualis hic esse potest.

7. *Judicium auctoris de predictis sententiis, et secundæ opinionis explicatio.* — In hac re dicendum est, primam sententiam recte explicare quidquid in re ipsa efficitur per hanc formam, et modus loquendi illius certe est expeditus et facilis, et potest optime sustineri. Secunda vero opinio non negat quod in re affirmat prima, sed addit aliquid spectans ad modum loquendi, quod non displicet. Potest vero sic breviter explicari, quia per hæc verba aliquid physicum et reale fit in materia consecrata, scilicet, ut sub illis speciebus realiter Christus contineatur; et quoad hoc, verba solum sunt forma extrinseca et efficiens; quia vero hic effectus insensibilis est, ideo ex solo illo non intelligitur relinqui materia satis definita ad sensibilem et sacramentalem significationem. Et ideo alia ratione intelligi possunt illa verba sacramentaliter informare illam materiam, quia ex consecratione resultat quedam sacramentalis conjunctio inter talem materiam et formam, ratione cujus species determinantur per verba ad significandum quod continent, et quoad hoc dici possunt sacramentaliter informari per illa; sicut in baptismo ablutio determinatur per verba ad significandum spirituales ablutionem; et ideo in esse sacramenti talia verba sunt forma talis materiæ. Simili ergo ratione in præsentia verba possunt dici informare materiam, et cum illa constituere unum sacramentum; quia vero hæc unio et informatio non est physica, ideo non oportet, ut sit intrinseca et propria, sed per quandam denominationem extrinsecam. Et eadem ratione potest intelligi illa materia manere informata et determinata per illam formam, etiamsi verba transierint. Nam sicut dicitur aliquid formaliter cognitum, a cognitione, quæ præterit, sic etiam species manent determinatæ ad hanc significationem, quamdiu moraliter substant illi formæ; substant autem non solum pro tempore, quo verba proferuntur, sed quamdiu retinent eandem habitudi-

nem ad illam formam, quæ habitudo non est forma, ut alia opinio dicebat, sed est veluti unio materiæ cum forma; unde nos non intelligimus species esse consecratas, et significare vel continere Christum, nisi quatenus intelligimus circa eas fuisse prolata verba formæ. Unde relatio signi, quæ rationis est, intelligi potest fundata in speciebus, ut denominatis a tali forma. Et hoc etiam satis est, ut licet verba transierint, dicatur tamen simpliciter manere sacramentum Eucharistiæ, ut Concil. Trident. sæpe in sess. 13, et tota Ecclesia docent. Primo, quia permanet totus Christus, quod est præcipuum in hoc sacramento. Secundo, quia sicut res successiva dicitur esse, quia aliquid illius est, licet aliquid jam transierit, ita hoc sacramentum, quod ex permanente et successivo consurgit, dicitur simpliciter esse, quia aliquid illius est, et id, quod in eo præcipuum est, durat. Præsertim tertio, quia in speciebus permanentibus manet tota significatio; verba enim tantum significant, contentum sub illis speciebus esse Christum, et hoc idem permanentiter significant species jam consecratæ. Unde fit ultimo, quod, licet verba physice transierint, semper tamen quodammodo informant, ut diximus, illas species, quia illæ non significant, nisi ut consecratæ sunt, atque adeo, quatenus substant verbis consecrationis, quæ præcesserunt. Neque in iis rebus requirenda est major propinquitas, vel præsentia.

SECTIO III.

Utrum corpus et sanguis Christi intrinsece et essentialiter pertineant ad hujus sacramenti institutionem.

1. *Species solas esse sacramentum asserunt aliqui.* — *Fundamentum.* — Supponimus de essentia hujus sacramenti esse, ut in se contineat corpus Christi realiter præsens. Hoc enim requirit veritas formæ, et hoc significant species tali forma consecratæ, ut latius infra, quæst. 73, ostendemus. Unde fit, non esse dubium inter Catholicos, quin corpus Christi aliquo modo sit de intrinseca ratione hujus sacramenti, saltem in obliquo, ut aiunt, id est, ut terminus illius habitudinis, seu unionis, quam species continentes dicunt ad rem contentam. Difficultas vero est, an Christus directe et in recto ingrediatur essentiam hujus sacramenti, ita ut non tantum species sint sacramentum, sed totum veluti compositum ex corpore et speciebus. Quidam enim Doctores negant, corpus Christi pertinere ad

constitutionem hujus sacramenti hoc posteriori modo, sed species solas esse sacramentum; ita sentit Marsilius in 4, q. 6, art. 2. Unde quæst. 1, art. 1, dicit, corpus Christi non esse sacramentum, sed annexum sacramento consecrationis. Tenet etiam Soto d. 4, quæst. 1, art. 4, et dist. 8, quæst. 1, art. 1. Et potest primo fundari in Patribus et Conciliis, quæ in primis distinguendo, ut vidimus, illa tria, rem tantum, etc., dicunt species esse sacramentum tantum, corpus autem Christi esse rem et sacramentum simul; omnino ergo distinguunt corpus a sacramento, et dicunt, sacramentum esse signum corporis. Corpus ergo non constituit intrinsece id, quod est sacramentum tantum, sicut nec significat seipsum. Et simile argumentum sumitur ex alia locutione, qua frequenter dicunt corpus Christi contineri sub hoc sacramento. Item etiam ex alia, quæ habetur in dicto cap. Ego Berengarius, ubi dicitur, post consecrationem non solum manere in altari sacramentum, sed etiam corpus Christi. Secundo argumentor ratione, quia inter corpus et species nulla est vera unio realis et physica, ut infra dicam, nec etiam sacramentalis; ergo ex illis duobus non componitur unum sacramentum; ergo corpus Christi non est de intrinseca ratione hujus sacramenti. Antecedens probatur, quia ut fieret sacramentalis unio, oporteret alterum componentium esse ut materiam, alterum ut formam; sed corpus Christi non potest habere rationem formæ, tum quia est alia forma, tum etiam quia non est per se sensibilis, neque habet expressam significationem, nec determinat materiam, quæ sunt de ratione formæ; neque etiam potest habere rationem materiæ, tum quia species sunt materia, tum etiam quia materia est quid imperfectum. Tertio, quia si totum illud compositum esset sacramentum, totum illud esset causa gratiæ propria et immediata, ita ut corpus et species simul et proxime attingant effectum gratiæ; quod et superfluum videtur, et non posse satis intelligi. Nam licet Christus operetur, non tamen ut causa propria, sed universalis, quomodo cum aliis sacramentis concurrat; et majorem hic efficaciam fingere, et supervacaneum est, et sine fundamento.

2. *Eucharistiæ sacramentum est compositum ex corpore Christi et speciebus.* — Dicendum vero est, Eucharistiam non esse solas species sacramentales, sed compositum ex corpore et speciebus, seu corpus Domini sub

speciebus contentum; atque adeo corpus et sanguinem Christi intrinsece et in recto pertinere ad constitutionem hujus sacramenti. Sententia hæc satis communis est; tenet illam D. Thom. in 4, dist. 8, quæst. 1, art. 1, quæstiuncula ad 2, ubi aperte dicit, ex speciebus et corpore Domini fieri unum sacramentum. Idem aperte Bonav. in Expositione litteræ; Cajet. infra, quæst. 73, art. 1, in fine. Significat Capreolus, dist. 8, art. 3, ad 1; tenet Victoria in Summa, n. 152; Ledesma, 4, part. 4, quæst. 14, art. 1, in fine; Alanus, lib. 1 de Euchar., cap. 3, 4 et 5; Claudius, repet. 2, cap. 4, et repet. 4, cap. 3, ubi dicit, Eucharistiæ sacramentum constare duobus rebus, signo scilicet et carne Christi Domini; et cap. 12, multa in hanc sententiam affert.

3. *Probatur conclusio testimonii Patrum.* — Et probatur primo hæc sententia testimonii antiquorum Patrum et Doctorum; et primo in cap. Hoc est, de Consecr., dist. 2, dicitur, sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Jesu Domini carne; quæ verba Gratianus et Algerus citant ex D. Augustino; sed in eo hujusmodi verba minime reperiuntur, quamvis epist. 23 ad Bonifacium aliquid indicet. Reperiuntur autem in Lanfranco, ex quo illa refert Ivo. 2 part. decreti, cap. 9; Damasc. etiam, lib. 4, cap. 14: *Quia compositi sumus, inquit, ex duplici natura, datus est nobis cibus, qui est Dominus noster, et sub specie panis nobis proponitur.* Irenæus, lib. 4, cap. 34, dicit, Eucharistiam duobus rebus constare, terrena et cœlesti. Quod non proprie intelligitur propter compositionem Christi ex duplici natura, quamvis ita exponat Claudius, repetit. 2, cap. 4, quia illa compositio convenit Christo secundum se, Irenæus autem tractat de compositione Eucharistiæ; per rem ergo terrenam intelligit species, per cœlestem autem ipsum Christum, qui dicitur panis vitæ, qui de cœlo descendit. Docuit etiam hanc assertionem Hesychius, lib. 6 in Levitic.; Lanfrancus contra Berengarium, a columna 11; et Algerus, lib. 1 de hoc sacramento, c. 5.

4. *Secundo probatur Patrum locutionibus.* — *Prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — *Quarta.* — Secundo probatur ex aliis sanctorum Patrum locutionibus. Prima sit: nam affirmant, hoc sacramentum confici verbis Christi, ut supra vidimus; non conficiuntur autem species, sed corpus Christi, vel saltem compositum ex Christo et speciebus. Unde simul etiam dicunt id, quod conficitur, esse corpus

Christi, ut videre licet in Ambros., 4 de Sacram. cap. 5, ubi dicit: *Antequam consecratur, panis est; ubi verba Christi accesserint, corpus est Christi.* Et lib. de Iis qui initiantur, cap. 9: *Sacramentum* (inquit) *quod accipis, Christi sermone conficitur, et in illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi; non ergo corporalis esca est, sed spiritualis.* Secunda locutio est, quia dicunt, hoc sacramentum esse cibum animarum et panem cœlestem; 4 ad Cor. 11: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, etc.* Panis autem cœlestis non sunt solæ species, sed præcipue corpus Christi, juxta illud Joan. 6: *Panis, quem ego dabo, caro mea est; et ideo subdit Paulus supra: Qui hunc panem indigne manducat, judicium sibi manducat, quia non dijudicat corpus Domini.* Unde Justin., Apolog. 2 in fine: *Hoc alimentum apud nos* (inquit) *vocatur Eucharistia, quam infra dicit esse carnem et sanguinem Christi.* Et Tertull., lib. de Resurrectione carnis: *Caro* (inquit) *corpore et sanguine Christi vescitur, et anima saginatur;* et Greg., in cap. Multi, 4, quæst. 4: *Polluimus* (inquit) *panem, hoc est, corpus Christi, quando sordidi accedimus ad altare.* Ac denique Trident., sess. 13, cap. 2, sentit, hoc sacramentum esse cibum illum et potum, qui a Christo institutus est, ut nos spiritualiter reficiat. Tertia locutio est, quia hoc sacramentum dicitur adorandum esse latría, Trident., sess. 13, cap. 5 et can. 6; sed hoc potissimum est verum propter corpus Christi. Nam species, licet coadorentur cum Christo, tamen tota ratio adorationis, et id, quod per se primo adoratur, est Christus. Quarta sit, quia id, quod est sacramentum, dicitur offerri Deo in sacrificio, et e contrario, quod oblatum est in sacrificio, manere in sacramento; sed totum hoc est verum propter Christum, qui propterea dicitur esse sacrificium a Trident., sess. 22, cap. 4; ergo. Ac denique tota Ecclesia eodem modo loquitur, de Eucharistia ac de corpore Christi, ut contento sub speciebus; utrumque enim dicimur sumere et colere, etc. Unde Paulus 4 ad Cor. 11 de hoc sacramento loquens: *Probet autem* (inquit) *seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat, qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ubi eandem Eucharistiam corpus Domini appellat, sicut Joan. 6 dixit Christus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quia panis ille (ut Augustin. ait, lib. Anno-

tationum in Job., cap. 6) *sacramentum est corporis et sanguinis Domini.* Ex quibus omnibus talis potest ratio concludi: Eucharistia, est id, quod a Christo est institutum, ut per modum cibi et potus reficiat nos, ut dixit Trident. supra cap. 2; sed cibus hic non sunt species, sed caro Christi sub speciebus, ut ostensum est: ergo.

5. *Tertio probatur conclusio ratione.* — Tertio principaliter argumentor ratione, quia ex corpore et speciebus fit aliquo modo unum; ergo fit unum sacramentum. Antecedens probatur, tum quia infra ostendemus, esse aliquam unionem inter corpus et species, si non physicam et formalem, saltem effectivam et sacramentalem, quæ ita explicatur, quia corpus Christi substituitur loco substantiæ panis; unde, sicut substantia illa cum suis accidentibus faciebat aliquo modo unum, media aliqua unione, ita corpus Christi, licet altiori modo et ratione. Quod etiam colligi potest ex illo verbo formæ, Hoc est, nam illud, Hoc, significat hoc sensibile, tanquam quid unum. Consequentia vero prima probatur, tum quia non potest signari aliud, quod ex corpore et speciebus componatur, nisi sacramentum Eucharistiæ; tum etiam quia illud unum est unum signum efficax gratiæ; ergo unum sacramentum. Antecedens patet, quia illud unum proponitur, tanquam unus cibus significans refectionem animæ. Quod recte explicuit Lanfrancus supra, col. 6 dicens: *Ecclesia Christi sic panem in carnem, et vinum credit converti in sanguinem, ut tamen salubriter credat sacramentum esse Dominicæ passionis, divinæ propitiationis, concordiæ, et unitatis;* et infra, col. 13, explicans quemdam locum Augustini, inquit: *Sacramentum corporis Christi, quantum ad id spectat, quod in cruce immolatus est ipse Dominus Christus, caro ejus est, quam forma panis operam in sacramento accipimus.* Itaque ipsummet corpus Christi, speciebus panis operam, signum est sui ipsius, in forma visibili, ut latius infra, quæst. 73, dicturi sumus, et eadem ratione signum est refectionis spiritualis, quam in nobis efficit, de qua efficacia dicam statim, solvendo argumenta.

6. *Ad fundamenta contrariæ sententiæ respondetur.* — *Ad primam Sanctorum locutionem.* — *Ad secundam.* — *Ad tertiam.* — Ad fundamenta contrariæ sententiæ, ut varia Sanctorum locutiones intelligantur, advertendum est, licet hoc sacramentum, ut diximus, sit compositum ex corpore Christi et specie-

bus, tamen aliquid præcipue ei convenire ratione corporis, aliquid ratione specierum. Unde quædam sunt nomina hujus sacramenti, quæ præcipue significant corpus, et veluti pro illo supponunt, ut est, panis vitæ, sacrificium, cibus animæ, et nomen etiam Eucharistiæ videtur esse hujusmodi, et ideo simpliciter vocatur caro Christi, vel sanguis. Alia vero sunt nomina præcipue sumpta a speciebus, ut est nomen sacramenti, quamvis hoc proprie totum compositum significare possit et pro illo supponere, ut cum dicimus, *sanctissimum sacramentum.* Jam ergo ad primam locutionem, in qua species dicuntur sacramentum tantum, respondetur, ita vocari, quia ab illis sumitur significatio sensibilis, quæ quodammodo Christi corpori communicatur; quia ergo hæc significatio in solis speciebus per se primo fundatur, ideo dicuntur sacramentum tantum; nunquam tamen excluditur corpus Christi a compositione hujus sacramenti. Sicut etiam in sacramento pœnitentiæ confessio dici solet sacramentum tantum, quia ratio signi per se sensibilis ex illa sumitur, respectu contritionis; et nihilominus non excluditur contritio ab intrinseca compositione illius sacramenti; quo exemplo etiam intelligitur, quomodo eadem res, quæ ut præcisa a signo exteriori, et significata per illud, dicitur res et sacramentum simul, ut conjuncta signo externo, et quasi informans vel sanctificans illud, possit cum illo componere integrum sacramentum. Secunda locutio est, quia corpus Christi dicitur contineri in hoc sacramento, quæ vera esse potest, tum ratione specierum, tum ratione totius, sicut anima dicitur esse in corpore et homine. Non tamen dicitur ita proprie corpus Christi esse sub hoc sacramento, sicut sub speciebus. Unde Trident. propriissime locutum est, dicens, corpus Christi esse in hoc sacramento sub speciebus sensibilibus. Tertia erat ex cap. Ego Berengarius, ubi sermo est contra hæreticum, negantem realem Christi præsentiam, et ideo dicentem, post consecrationem in altari manere solum sacramentum, id est, signum Christi, non Christum. Contra hunc ergo dicitur, manere non tantum sacramentum, sed etiam Christum, id est, non solum signum, sed etiam rem signatam. Vide circa hoc, quæ refert Claudius, repetit. 9, cap. 6, fol. 339, in fine, et 340.

7. *Solutio primæ rationis contrariorum.* — Ad primam rationem respondetur, jam osten-

sum esse, ex corpore et speciebus fieri unum unione saltem sacramentali. Quomodo autem inter se comparentur corpus et species, et ad illud totum quod componunt, explicare restat. Quidam dicunt, se habere ut partes integrantes. Sed non placet, quia illa compositio nullam habet proportionem cum hac. Alii comparant cum accidente et subjecto, habitu et vestito, loco et locato, continente et contento, in quibus omnibus est aliqua similitudo et proportio, non tamen proprietas seu identitas, et in illis omnibus etiam est quædam similitudo materiæ et formæ. Primo igitur in forma dici potest ad argumentum, corpus comparari ut formam ad species, tum quia est illis nobilius, tum etiam quia est veluti virtus illarum, sanctificans illas, ut D. Thom. supra, quæst. 63, art. 4, ad 2. Ex qua, juxta solut. ad 3, colligi potest, sicut humanitas sanctificatur per Verbum illi unitum, quod hac ratione se habet ut forma ejus, ita species sanctificari per realem præsentiam, et unionem corporis Christi, et hac ratione comparari ut formam earum; ac si in sacramento pœnitentiæ diceremus, contritionem esse formam confessionis, dantem illi vitam et sanctitatem, quamvis tota confessio dolorosa comparetur ut materia ad absolutionem. Secundo dici potest corpus Christi se habere ut materiam, tum quia in compositione ex accidenti et subjecto, id quod est nobilius, se habet ut materia; in hoc autem cibo substantia ejus est corpus Christi; tum etiam quia in artificialibus sæpe materia est id, quod est nobilius, et quod præcipuam vim confert ad agendum; sacramenti autem compositio est veluti rei artificialis. Et utrumque horum est probabile, nam cum hæc ratio materiæ et formæ solum ponatur in proportionem quadam, sub diversis considerationibus potest ad diversa accommodari. Si vero tandem urgeat aliquis inquirendo, quid principaliter constituat hoc sacramentum, respondetur in ratione signi visibilis principaliter constitui per species, ut per se constat, et ita ad rationem sacramenti, quæ in ratione signi consistit, magis pertinere species, quamvis ad rei nobilitatem, efficacitatem, et significationem, ac pignus divini amoris, multo magis corpus Christi conferat.

8. Ad secundam rationem primo certum est, carnem Christi habere in hoc sacramento præcipuam efficientiam sacramentalem, ut D. Thom., quæst. præced., docuit, art. 4,

ad 1, et quæst. 27 de Verit., art. 4, circa finem, et communiter Theologi, distinct. 8; quamvis enim in contrarium citentur Major, Gabr. et Marsil., ego tamen non inveno loca, ubi hoc negaverint, sed potius hoc aperte sentit Marsil., quæst. 6, art. 2, et colligi potest ex Joan.: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Ratio est, quia caro Christi est instrumentum conjunctum divinitati, et in hoc sacramento adest præcipue ad sanctificandos fideles, et per modum cibi hanc sanctificationem significat; cur ergo non efficiet? Itaque ex hac parte non procedit argumentum.

9. *Species efficere gratiam in hoc sacramento, quam sit probabile, ostenditur.* — *Confirmationes.* — De speciebus vero non est res adeo certa. Nam Cajet., quæst. 80, art. 12, dub. 2, negat speciebus hanc efficientiam, quem sequitur Ledesma, 1, part. 4, quæst. 14, art. 1, dub. 3, quamvis non satis clare. Juxta quam sententiam respondendum est, inde non sequi, sacramentum hoc non constitui ex speciebus sensibilibus, quia de ratione sacramenti non est, ut per omnem suam partem gratiam efficiat, sed per unam aliquam magis præcipuam; et ideo quanquam hoc sacramentum ex corpore Christi et speciebus componatur, fieri potest, ut tota vis agendi sit in corpore; seu potius, ut ipsum corpus comparetur ad species, sicut virtus activa illarum, ut insinuavit D. Thomas quæst. præced., art. 1, ad 1; unde sicut aliqui dicunt, verba aliorum sacramentorum, et materiam, agere denominative tantum per virtutem impressam, ita dici poterunt species hic agere solum per Christum, qui est veluti earum virtus. Hactenus tamen non inveno rationem mihi satis probabilem, qua ostendi possit, species non habere proprium influxum et efficaciam gratiæ in hoc sacramento; certum est enim posse a Deo assumi ut instrumentum, non minus, quam ablutionem in baptismo, vel alias materias in cæteris sacramentis. Si autem hoc est possibile, unde probari potest non factum esse, cum hoc sacramentum sit dignius cæteris, et species sint vera materia, ex qua ipsum componitur? nam quod Christi corpus adsit, et efficiat, non obstat; quia possunt simul concurrere, quin potius juvare potest; nam ex conjunctione cum ipso Christo perfectius recipientes species hanc virtutem; unde Cyprian. ait, sermone de Coena Domini: *Cibus hic verus et sincerus per speciem et sacramentum nos*

tactu sanctificat; quo etiam sensu paulo ante dixerat, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum. Confirmatur primo, quia sacramenta novæ legis efficiunt quod significant; sed species significant unionem cum Christo; ergo illam efficiunt, vel perficiunt. Confirmatur secundo, quia species sunt signa sacramentalia, seu sacramentum tantum, præsens et commode applicatum; sed sacramentum tantum efficit rem sacramenti: ergo. Dicuntur autem agere species in virtute carnis Christi, quia hanc virtutem accipiunt, propterea quod Christum continent, non quod hæc virtus sit aliqua res, fluens a carne Christi ad species; hoc enim supervacaneum est, et vix intelligi potest, ut latius diximus agendo de sacramentis in genere; sed quod species, eo quod continent Christum, eleventur, ut simul cum ipso gratiam efficiant, in qua actione tam Christi corpus, quam species, concurrunt ut instrumentum, illud ut conjunctum substantialiter principali agenti; hæc vero, ut separatam, seu accidentaliter unitum. Virtus autem principalis proprie tantum est in Deo; quodammodo tamen dicitur caro Christi principale agens, respectu specierum, quia est conjuncta principali agenti, et quia ratione illius elevantur species, et non e contrario. Et hoc solum voluit docere D. Thom. in illa solut. ad 1. Et hanc sententiam docuit Richard., dist. 8, art. 1, quæst. 1, et eam insinuat Bonavent., in 2 part. illius dist., art. 2, quæst. 1, et hanc censeo esse mentem D. Thom. infra, quæst. 79, art. 1, ad 2.

10. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices: ergo non aliter caro Christi in hoc sacramento efficit gratiam, quam cum cæteris, quia etiam cum baptismo concurrat ad effectum ejus, etc. Respondetur primum, non esse tam certum, ad effectus aliorum sacramentorum concurrere proxime et immediate humanitatem Christi, sicut est certum, concurrere ad effectum hujus sacramenti, quia hic est specialis ratio, cum hic ipse Christus sit vere sacramentum, et non in aliis. Unde in cæteris, ad summum influit per modum causæ universalis in suo genere, hic vero ut particularis et propria causa. Rursus in reliquis influxus ejus pendet ab ipso, ut existente in caelo, in hoc vero pendet ab ipso ut realiter hic præsentem, et quatenus mediis speciebus contingit ipsum suscipientem. Præterea etiam probabile est cum aliis sacramentis tantum concurrere per suam voluntatem; hic vero etiam

per contactum suæ carnis, et pretiosissimi sanguinis, ita ut species sacramentales subordinentur ipsi in agendo, et ut auctori sacramentorum per voluntatem suam influenti, et ut propriæ causæ, seu potius causæ effectivæ specialis gratiæ sacramentalis hujus sacramenti.

SECTIO IV.

Utrum sumptio Eucharistiæ sit sacramentum, vel pars ejus.

1. *Hæreticorum quorundam error.* — Hæretici, qui dicunt, Christum non esse præsentem in hoc sacramento, nisi quando accipitur, et est in usu, consequenter dicunt, hoc sacramentum in usu consistere, sicut cætera, atque adeo præcipuam partem ejus esse usum ipsum. Nos vero supponimus id, quod de fide est, et infra probandum, Christum permanentem esse in hoc sacramento statim post consecrationem. Ex quo consequenter certum existimo, ante hujusmodi sumptionem seu usum, esse verum Eucharistiæ sacramentum constitutum, ut supra ex Concil. Trident. docuimus, et docuit aperte D. Thom., quæst. præced., art. 1, ad 3, constituens differentiam inter hoc sacramentum, et reliqua, quod hoc perficitur in consecratione materiæ, alia vero in usu. Jam vero difficultas est, quomodo usus se habeat ad rationem sacramenti.

2. *Prima Catholicorum sententia.* — Prima sententia est, esse partem hujus sacramenti, atque adeo ante usum, vel sacramentum non esse, vel certe non esse integrum. Sicut sacramentum pœnitentiæ conficitur ante satisfactionem, et nihilominus satisfactio est pars ad illius integritatem pertinens. Cujus sententiæ fuisse videtur Aureolus apud Capreol. in 4 dist., art. 2, in argumentis contra primam conclusionem. Quamvis hic auctor sensisse videatur esse partem essentialem. Ratio ejus est, quia sumptio Eucharistiæ complet significationem, et effectum ejus, quia ante sumptionem nec gratia confertur, nec perfecte significatur unio fidelium cum Christo; sed quod significat, et confert gratiam, vel est sacramentum, vel pars essentialis sacramenti; cum ergo hæc sumptio non sit sacramentum integrum, erit pars hujus sacramenti.

3. *Secunda sententia.* — Secunda sententia negat, sumptionem Eucharistiæ esse sacramentum, vel partem sacramenti Eucharistiæ;

affimat vero per se esse sacramentum ab Eucharistia distinctum, quamvis per reductionem sub illo numeretur. Ita Gab., dist. 8; et probatur, quia in hoc usu concurrunt omnia, quæ sunt de ratione sacramenti; nam est cæremonia sacra, et sensibilis, et fit ex institutione et præcepto Christi, ut patet ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem, et ex illis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, etc.* Ac denique non deest significatio, quia si ad fundamentum seu proportionem respiciamus, nihil est aptius ad spiritualem refectionem significandam, quam ipsa sensibilis manducatio; si vero ad institutionem, etiam hic invenimus institutionem Christi, quia non aliter imponitur sacramentum ad significandum, quam instituendo cæremoniam sacram, quæ ad sanctificationem fidelium ordinatur. In sacramentis autem novæ legis, ut hæc significatio sit efficacax, requirit promissionem gratiæ, quam etiam in hoc usu invenimus, juxta illud: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quid ergo ob stare potest, quominus hic usus sacramentum sit? Et confirmo, quia in aliis sacramentis usus ipse est sacramentum, solum quia concurrunt dietæ conditiones; cur ergo non erit idem in præsentem? Dices: quia ipsa res, quæ ad usum applicatur, est sacramentum. Sed hoc non videtur ob stare, quia illa duo non repugnant inter se; sicut, si chrisma esset sacramentum, vel in eo Christus realiter adesset, nihilominus unctio chrismatis, si in ea daretur sanctificatio, sicut nunc datur, esset sacramentum; imo videretur esse perfectius, quia esset usus sacer, et signum sacrum, sicut nunc est, et tanto perfectius, quanto res, qua fieret unctio, sanctior esset; ergo similiter, etc.

4. *Sumptio Eucharistiæ non est sacramentum Eucharistiæ, nec pars ejus.* — *Prima ratio.* — *Secunda ratio.* — *Tertia ratio.* — *Quarta ratio.* — Dicendum vero primo est, sumptionem seu usum neque esse sacramentum Eucharistiæ, nec partem illius. Hæc est aperta sententia D. Thom. loco supra citato, et infra, q. 78, art. 1, ad 2, ubi dicit, sumptionem esse veluti actum secundum hujus sacramenti, et hoc modo pertinere ad extrinsecam perfectionem ejus, sicut agere ad perfectionem agentis. Idem sentiunt alii Theologi, dist. 8, præsertim Capreolus, et Soto, et Ledesma, et hoc tempore omnino ita sentiendum videtur, tum quia Concil. Trident., sess. 13, cap. 3.